





8.

1718, 8

10

DISCURSUS
 DE
REFORMATIONIS
DISCIPLINARUM
 NECESSITATE

P. 528

Quo
 AD LECTIONES SUAS
 OFFICIOSISSIME

INVITAT
POLYCARPUS LYSERUS,
 PHILOS. PROF. EXTRAORD.



HELMSTADII,

Typis HERMANNI DANIELIS HAMMII,
 ACAD. TYPOGR.

+



REFORMATIONIS negotium non circa *sacra* solum, sed *profana* etiam, arduum valde est. Absit vero, ut difficultas operis eum, qui emendationis necessitatem agnoscit, & ponderando didicit, absterneat. Debitam tamen *prudenciam* pauci sunt qui adhibent. Postquam publicae factae sunt disciplinae, doctoribusque a magistratu certi limites praescripti, privati hominis non est, ad libitum mutare, quae autoritate superiore constituta erant. Indicare possumus, non indicare. In aedificio extruendo unus dirigit, multi calcem, lapides, ligna afferunt, multi consilia suggerunt. In Orbe literato idem obtinet. Omnes cogitare debemus de emendandis disciplinis, arbitrio superiorum consiliorum executionem relinquentes.

Non tribuissent mihi SERENISSIMI ALMAE JULIAE NUTRITORES doctoris publici officium, ni voluissent, ut & ego scientias pro viribus polirem & excolerem. Quapropter non abs re futurum existimavi, si, quae meo iudicio scientiarum perfectioni obstant, percensuero, atque ipsi muneris demandati administrationi praemisero. Commode hic accidit, quod extra ordinem profiteri iusso per *disciplinas singulas philosophicas* vagari liceat. In iis tamen, quae prolaturus sum, ne quid a me ab aliis satis monitum reperatur operam dabo, nisi forte me incio irrepererint aliqua, de quibus ante me aliquis cogitavit.

Haereo autem in limine statim ob confusam eruditionis tractationem. Quot encyclopaedias, quot systemata, imo quot eruditos, tot videas *methodos*, tot diversos in disciplinis *ordines*. Non curantes hos arbitramur doctrina illa, quae DE *STVDIIS* rite *INSTITVENDIS* dispicit, priorem ordine naturae non dari. Disciplinam quin eam vocem singularem nil obstat. Non doctrinae necessitas. Non eius utilitas. Non alia ad haec requisita. Obstat solum praecudicium quo eas habemus disciplinas quibus docendis singulares in Academicis praefecti eruditi viri sunt. At vero ego non leve studiorum incommodum habeo, insigne etiam Academicis deesse ornamentum puto, quod *Professore studiorum instituentorum* carrent.

rent. Quis est, qui non cursu academico, diligenter quamvis peracto, de methodo citius, tutius, & iucundius, ignorantiam tollendi neglecta queratur. Quis non agnoscit se, si de-nuo stadium illud decurrere oporteret, viam magis regiam ambagibus missis esse calcaturum. His superfedere querelis cogerentur, siquidem methodus progrediendi recte in disciplinis doceretur, atque ad bene praescriptas regulas vita & ratio studiorum institueretur. Dicis: talia a parentibus, iisve qui vicem gerunt, in academiis discessuris instillari satis. Crederem ni experientia refragaretur.

Quis enim est qui vires *animi & corporis* in Candidato academiae examinare aut possit aut velit. Palmarium autem hoc est, quo non cognito frustra certae disciplinae traduntur iuvenes, frustra methodus discendi & ordo praescribitur. Taceo quod perversa saepe in consiliis faciendis fundamenta ponantur. Puer stupidior est & morosior. Fiat theologus. Est impudentior, moribusque non compositis. Sic iurisconsultus. Studia humanitatis averfatur. En medicum. Utinam eiusmodi decreta ex solis imperitis de vulgo audirentur. At vero, ais, & Professores in academiis normam studia tractandi praescribunt rogati. Ita censent qui ambitum disciplinae illius praeviae ignorant. Lectiones certas, nostras inprimis, commendamus, reliqua quaerentibus indaganda & supplenda relinquimus. Itane instructos satis putas, qui tenebris errorum expositi in regno eruditionis, ignoto adhuc, iter faciunt. Usu & temporis iactura discat oportet, quo ordine, quo compendio, quibus praesidiis rem aggredi debuisset. A limine in ipsum ERUDITIONIS palatium, uti hodie constructum est, procedentibus conclavia sat multa disciplinae scientiae & artes inquam offeruntur, sed conclavia illa instructa ita non sunt ut hospitium commodum praebeant. Disciplinae omnes fere vel disiectae ac sine ordine confusae chaos quoddam referunt, vel inutilium rerum accessione locupletatae & obscuratae sunt, vel bonis utilioribusque veritatibus vacuae, vel falsis denique erroribusque inquinatae. Ne dixisse multum, probasse pauca, videar, disciplinas ipsas lustrabo.

Eruditio proprie duas tantum habet partes, unam quae

circa

circa nota & facta; alteram, quae circa ignota & facienda occu-
patur: unam, quae in intellectu residet, alteram, quae in praxi se
exferit, **SAPIENTIAM** dico & **PRVDENTIAM**. Nollem
iraque eruditionem in cognitione boni quaerere sed & boni
& veri. Vulgo quatuor constituuntur disciplinae primariae,
facultates dictae, quibus praeviae tres iunguntur. Non reji-
cio hunc ordinem, velut ex omnibus hactenus receptis opti-
mum, & publica quoque auctoritate confirmatum. Incon-
gruum tamen inde emergere hoc scio, quod, cum olim, scien-
tiis non multiplicatis nec divisis, eruditus nemo habitus sit nisi
qui omnium fundamenta teneret, hodie ea studia tractandi
ratio negligatur, & non obstante intimo omnium scientiarum
nexu plerique uni eique soli reliquis prorsus posthabitis ope-
ram dare soleant.

Ad ipsas disciplinas ordine recepto dispositas progredior.
Praevias faciunt tres **PHILOLOGIAM**, **HISTORIAM** &
MATHESIN. Ordine satis apto & cum methodo discendi
conueniente. Primo enim sermone uti, postea ex aliis, deni-
que a nobis ipsis, ingenium exercendo & acuendo, discere
oportet.

PHILOLOGIA alia est *historica* alia *philosophica*, alia
memoriae alia *rationis*. Hanc ignorant eruditi certe non sa-
tis colunt. Historica dicit quid fiat quid usu receptum. Phi-
losophica quid fieri debeat monet, & supplet quae usus igno-
rat. Hoc linguarum studium quam perverse tractetur audia-
mus. Quantaes lites circa *linguarum natales*. Non ad *bisfo-*
riam populorum, non ad *genium* linguae sed ad per pseudety-
mologiam contorta vocabula attendunt, qui **HARMONIAS**
& **origines LINGVARVM** quaerunt. Quid magis falsum
quam unam omnium dari matrem. Nec tamen desunt, qui
vel Belgicae, vel Chaldaicae, vel Ebraeae, vel Graecae vel Syria-
cae eam gloriam vindicant. Europaeas omnes linguas, qui a
Teutonica ducunt sunt plures, quos tamen vel sola Slavonica
cum filiabus refutaret, nisi praeterea ipsa Teutonica filia Suecicae
aut similis, dicenda esset. Quid incertum magis, quam Ebraeam
linguam esse primam. Nec tamen caret sententia defensori-
bus. De *praestantia linguarum*, qui hucusque disputarunt, ut
coe-

cœci de colore iudicarunt. Sine physicae intimiore cognitione, sine attentione ad linguae genium, rem absolvi posse crederunt. Idem dicendum de iis qui *linguam philosophicam*, qui *characterem universalem* vel optant vel quaerunt. Nesciunt quid velint. Lingua philosophica & character eiusmodi si struerentur, omnibus aliis forent & linguis & characteribus incommodiores. Exemplum sit Sinenſis lingua ſuo characterē philoſophico, nec tamen eo a priori id eſt philoſophice cognoscendo. Univerſalem linguam & characterem fruſtra quaerimus. Si perſuaſeris omnibus populis, ut lingua & character Germanicis vel quibuſcunq; aliis urantur, habebis univerſalem linguam cum literis.

In linguis ipſis ediscendis proh quantae ambages. Latinam vix callent, quin uſu didicerint non arte. Indicio ma-niſteſto carere nos GRAMMATICIS genuinis. Nolo quae alii in iis animadverterunt, regularum *ſiſtatem*, *inutilitatem* que carpere. Vitium ſolum univerſale illud nomino, quod *genium* linguarum, quem docere inprimis debebant, negligunt proſuſ & de eotacent. Fit hinc, ut latina quidem verba ex Grammaticis diſcamus ſelectere & componere, minime vero latine loqui. Scilicet *auctoritate* ſola auctorum probatorum conſici poſſe puritatem & elegantiam putant, & a clasiſicis ſcripto-ribus non adhibita uſurpanda minime eſſe. Unde ſtylus varie-gatus valde & confuſus oriatur neceſſe eſt. In ſpeciali lin-guae alicuius doctrina natura, uti ſemper a ſimplicibus ad com-poſita ire iubet, ita hic circa *litteras* primum, *ſyllabas* poſtea, mox *voceſ* cum *accentibus*, deinde *periodoſ*, cum *interpunctio-ne* & denique *ſtylum* occupatur. Habent ſingulae hae linguarum partes ſuaſ doctrinaſ, de quibus omnibus moneri aliqua poſ-ſent. Potiora quaedam ſeligemus. Praecipuum fere in vo-cabulo, quod quaerimus, eſt eius *ſignificatio*. Haec in *dictiona-riis* tradi dicitur. Fruſtra autem ſaepe quaeritur. Quis enim ex lexicographis primam illam veritatem, lexicorum funda-mentum habet, quod **VNIUS VOCIS VNA TANTVM SIT SIGNIFICATIO**. Uti una unius rei denominatio genuina: *ſyno-nyma* enim nulla. Propriam volo, quae multas allegoricas non excludit. Has in lexico numerare incongruum eſt, & fru-ſtraneum.

straneum. Saepe unius vocis *mutos* recenferi videas significatus, verum omitti. In linguis minus notis excusatio aliqua locum habet. In notioribus minime. Post accuratos illos vocabulorum in scriptoribus latinis antiquioribus occurrentium indices, mirandum est, eundem errorem errari hodieque, cum vel ex sola locorum evolutione & collatione *significatio* prima & *vera* facile eruatur. Nec tamen hic solus est lexicorum defectus. Laborant alia mole. Quamvis enim sublata falsarum significationum copia dictionario multum decrescat, superest tamen *derivatorum* & *compositorum* multitudo, quae si certis regulis lexico praemisilis comprehenderentur, omitti singula possent.

Non diversa est ELOQUENTIAE a doctrina linguarum facies. Ea in formam artis redacta nondum est. Exercitio oratores fiunt & natura, non arte. Quis est qui *elephantiae* gradus determinavit aut rationem *numeri oratoris* apte docuit? Nemo sane quod dolendum. Non poteris, nisi cognito numero illo, *affectus* auditorum movere ad libitum, quamvis gravissimis meditationibus instructus verba feceris. Pervenisset eloquentia dudum ad sublimius fastigium, nisi regulas artis negligereamus. Sola autoritate in soluta & ligata oratione utimur. Fit hinc, ut non tantum quae bene a veteribus dicuntur nostra faciamus, sed etiam vitia imitemur. Sunt Homerus, & Virgilius, Principes Graecae Latinaeque poeseos, absit tamen, ut eos ab erroribus, etiam gravissimis, immunes pronunciemus, quos quidem auctoribus velut in hac arte primis & suo tempore praestantissimis facile condonari posse, non item imitatoribus, puto.

Quoniam autem ad preparandum eruditum philosophatarum non sufficit loquela sed & doctrina accedere debet a verbis ad res deveniendum. Discitur vero vel exemplis vel praeceptis. Exemplorum congeriem dicimus HISTORIAM. Hanc in quatuor partibus solent partes docti LITERARIAM, POLITICAM, ECCLESIASTICAM, & NATURALEM. Distinctione prorsus insufficiente. Quo enim iure naturalis, ut de aliis non dicam, historia ab ipsa doctrina naturali separatur. Aut cur non reliquarum scientiarum historia specialis eodem iure, historiae universalis partem constituit? Historia quoque literaria rectius omnibus eruditionis partibus praemitteretur. Sed insistamus receptae methodo.

In

In HISTORIA LITERARIA tradenda generalis quaedam est confusio apud auctores. De subsidiis ibi eruditionis multa, de ipsa eruditione parum. Quid ad nos eruditi nisi scriptis profuissent? Quis usus librorum nisi ut scientias inde hauriamus? Itaque quicquid in historia literaria scientiarum notitiam nullam exhibet curiosum quidem sed *allogrius* est. Nolo vero huic argumento in sistere, cum olim alia occasione latius desiderata circa historiam literariam exposuerim.

HISTORIA CIVILIS non leve necessariae reformationis indicium praebet. Non dicam nunc, certe non exponam fusius, quantum illi aberrent qui politicam historiam vel docent vel discunt neglectis disciplinis praevis GEOGRAPHIA, CHRONOLOGIA, GENEALOGIA, doctrina NUMISMATVM & ANTIQVITATVM notitia. Loquar solum de nonnullis quae in his scientiis emendanda esse videntur. In GEOGRAPHIA tradenda illud reprehensione dignum videtur quod ordinem plerique servant imperiorum. In geographia iuri publico inserviente haec methodus non culpanda. In ea vero doctrina, ubi de situ solum regionis urbis locive cuiusdam dispicitur, dicta ratio quamvis ubique inveterata merito reicitur. Vix labitur annus quo non imperiorum fines aut prorogantur aut minuuntur. His vero vicissitudinibus geographiam historicam subiicere incongruum videtur. Rectius sola marium & fluviorum orae & cursus geographicum ordinem faciunt. Huius veritatis fructus vel ex sola veterum lectione redundat. Hiubi ad fluviorum cursum imprimis respererunt clare locuti videntur ubi ad imperiorum fines obscure. Hodie ubi ad imperiorum diversitatem distributio Geographica instituitur, praestruitur & praestruui debet notitia regnorum publico iure divisorum, quae tamen geographiam veram sequi, non praecedere, natura debet. Quid ergo dicendum de vulgo probatis geographicis scriptis, quae de antiquitate, celebritate, fatis locorum Geographicorum multa, de situ accurate per longitudes latitudesque, per fluvios maria lacus montes definiendo nihil aut parum tradunt. Scilicet non geographos agunt sed politicos. Elegantissima est & magni in historia veteri momenti numerorum cognitio. Sed tractandi ratio vulgaris eam reddit obscuram & utilitate fraudat. Ad recentioris aevi facta illustranda numi inserviunt parum. Ideoque in iis non sine temporis iactura occupamur. Ex antiquis numis plerique aut ficti sunt aut historiam parum iuvantes. Solos fere excipio Graecos & Romanos.

RITVVM & antiquitatum veterum doctrinam tantum non omnes ad Philologiam referunt nullam aliam ob causam, quam quod scriptores philologo stylum probatum exhibentes sine earum notitia intelligi satis nequeunt. Sed, cum hoc non nisi ob nexum disciplinarum fiat, eum ordinem probare non possum.

IPSA HISTORIA CIVILIS, uti necessaria omni literato est, ita non oportebat eam iam satis diffusam prolixiorem reddere admitione & adiectione earum rerum, quae ad eam non pertinent, Finis praecipuus historiae civilis est nosse status publici civilis vicissitudines. Itaque falso historias suas dicunt politicas qui politici parum, privatim gestorum multum, tradunt. Aliud est personarum, aliud civitatis historiam dare. Futuro Principum Consiliario nosse inprimis iuvat imperiorum nexum. Reliqua in historia tradita privatam solum prudentiam instruunt. Tolle ex Svetonio Tacito imo Livio & aliis quae nosse politicum non expedit parva habebis volumina.

Idem suo modo de historia ECCLESIASTICA diceadum, quae multo foret concinnior, si, quae ecclesiae solius mutationem spectant, eo referrentur. Ex quo vero privata virorum ecclesiasticorum acta iis immista sunt mole laborat sua.

Veram HISTORIAM sequitur FICTA, quae quamvis si ut historia spectetur eruditionem non iuvat, tamen quod poeticum ingenium excitat & acuit, suum aliquem locum in disciplinarum sublellis reperit. Recedere autem plerosque fabularum scriptores recentiores a scopo, quem sibi praefigere debebant mores emendandi, & praeterea rerum nexum, inconcinnum vel maxime, dare quis ignorat?

Quae circa MATHESIN, PHILOSOPHIAM, & his affines disciplinas monenda sunt, reformationis necessariae indicia, alii tempori & occasione servo. Neque nunc in iis, quae exposui, prolixior esse volui lectionibus uberiorem explicationem servans, ad quas VOS OMNES, GENERE ET LITERIS NOBILISSIMOS, ACADEMIAE CIVES, observanter invito. Publice diebus Mercurii & Saturni horis matutina XI. vespertina VI. hoc semestri DE STUDIIS INSTITUENDIS agam, & instanti Mercurii die XXII. Jun. volente Deo, lectionum initium faciam. Privata opera, hoc inprimis semestri, ne labores nostri ordine careant, HISTORIAM, eruditionis culturae merito praemittendam, LITERARIAM vulgo dictam, declarabo, ita ut singularibus, iisque terminis, laboribus, una hora SCIENTIARVM fata ordine chronologico, alia LIBRORVM selectiorum bonorum & rariorum ordine disciplinarum notitiam, tertia denique ERVDITORVM praestantiorum biographias sistam. PHILOSOPHIAM etiam & alias doctrinas iis, quibus mduce progredi fuerit volupe, qua decet fide, explicabo. Favete modo, COMMILITONES OPTIMI, praesentia & frequentia vestra atque Vestris, si valuero, commodis me studiosissime semper esse inserviturum non dubitate. Dabam d. XIX. Jun.

MDCXCIIIX.

X2424248

V078

ULB Halle

3

006 771 149





8.

DISCURSUS 1718, 8 10

DE

REFORMATIONIS

DISCIPLINARUM

NECESSITATE

1228

2 u o

AD LECTIONES SUAS

OFFICIOSISSIME

INVITAT

POLYCARPUS LYSERUS,

PHILOS. PROF. EXTRAORD.



HELMSTADII,

Typis HERMANNI DANIELIS HAMMII,
ACAD. TYPOGR.

